

vilegiis super hoc confectis expresse declaratur. Nos scotationem hujusmodi, ex voluntate, consensu & consilio Regni nostri meliorum, ratissimam habere volentes, medietatem dicte terre Hallandie ad partem aqvilonarem ultra Etthrä, cum omnibus solutionibus, libertatibus & juribus, ceterisque attinentiis & servitiis corone attinentibus, exhibitori presentium Comiti Jacobo, consanguineo nostro, libere resignasse, & sub forma predictæ scotationis assignasse sibi & suis heredibus jure perpetuo possidendam. Ne igitur ipsi Comiti & suis heredibus aliquid in posterum super hoc a nobis vel a nostris successoribus possit suboriri calumpnia, presentes literas cum sigillo nostro, & sigillo Ducis Waldemari, nec non & sigillis venerabilium patrum Dominorum Johannis Archiepiscopi Lundensis, ac Episcoporum Jacobi Slaswicensis Cancellarii nostri, Tuconis Arusiensis, Tuconis Ripensis, Ingwari Roskildensis, Petri Wibergensis, Johannis Rewaliensis, Johannis Ottoniensis, & fratris Nicholai electi confirmati Burglanensis, nec non & sigillis Dominorum Wizlavi Principis Ryanorum, Gerardi junioris Comitis Holsatie, & Dominorum Comitum Alberti de Glichen, Alberti de Ewærsten, Henrici de Gelichen, duximus roborandas in testimonium hujus & cautelam pleniorum. Actum & Datum Worthinburg Anno Domini M^oCC^oLXXX^o tertio, in nativitate beate virginis, presentibus Dominis supradictis, & universis melioribus totius Regni Dacie, tunc in consilio existentibus.

774.

1283 d. 2 Oct.

Stockholm.

CARL ESTRIDSSONS Köpebref till sin slägtinge Fru RAGNHILD på Braggiä.

J. 6: 186.

Omnibus Christi fidelibus, ad quos præsentem veniunt, Karulus Estridis filius, in omnium salvatore salutem. Noverunt vniuersi, me vnam marcham terræ in Braggiä, Dominæ Ragnildis Cognatæ meæ dilectæ, pro XLVIII marchis vendidisse, cum omnibus quæ eidem dinoscuntur adiacentijs, ad hoc autem quod præmissum prædium specialiter possideat Patrimonium suum in Finstadum, Byrgero Pehtersson consanguineo suo vendidit denarijs, pro eisdem, cuius facti testes vulgariter dicti fasta, sunt hij videlicet, Dominus Philippus de Rumby, Dominus Thorstanus Thialuasson, Benedictus Boosson, Benedictus Algnesson, Bero niger, Ingivaldus, Offradus de Spånga, et Ingmundus, omnes testimonium prohibentes, veritati, ne quis super præmissis aliqua sinistra suspicio aut inquietudo, in posterum possit suboriri, sigillo Domini mei Regneri vna cum sigillis Domini Magni långer, Domini Petri Cancellarij, Domini Siggonis Archidiaconi Lincopensis. Domini M. Dapiferi. Thyrkilli Knutsson, nec non et sigillo meo, præsentem literas duxi confirmandas. Actum Stocholm. Anno Domini M.CC. Octagesimo Tertio, VI Nonas Octobris.

Sigillen: 1—3 bortfallne; 4, 5 funnos och äro tecknade.